

EPISTULA LEONINA

XCIII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-XCII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
NONAGESIMAM TERTIAM (93) !

ARGUMENTA

1. MYTHI GRAECORUM: TRES LABORES HERCULIS PRIORES.....pag. 04-08
2. SACERDOTES LIBERO ORE LOQUENTES (III)
Qui impetûs facti sint in Olaum Latzel pastorem animarum.....pag. 11-28
3. VOCABULA VESTIARIA (VI).....pag. 29-33

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam nonagesimam tertiam.

Pergimus Schwabianam mythorum enarrationem in Latinum sermonem convertere, usque dum totum opus togatum sit. Quod facere operae pretium nobis esse videtur; nam hoc opus verê dignum est veste Latinâ.

Pergimus quoque referre de sacerdotibus libero ore loquentibus, istâ in tempestate rerum, ubi in Germaniâ rara sunt verba libero ore facta. - Quo usque tandem abutêre, Angela, patientiâ nostrâ? – Lege, quales et quanti facti sint impetûs in Olaum Latzel Pastorem animarum Bremensem, a diurnariis necnon ab ipsis confratribus. At ab uno fortiter defensus est (p.17q.). Babae, hic sacerdos quam audacter loquitur !

*Omne trinum bonum. Tertio loco legas, cara Lectrix, care Lector, novissima vocabula vestiaria Latinê reddita. Novistine, quae sint clusura *lappacea et braculae *ranaceae et camisia *Leotardiana? Nescin? Tolle, lege VOCABULA VESTIARIA (VI).*

Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Dominico, 14. m. Febr. a.2016



**BUTYRUM ET MEL COMEDET,
UT SCIAT
REPROBARE MALUM ET ELIGERE BONUM.**

ISAIAS

A.1509 pinxit in Capellâ Sixtinâ Michelangelo.

cfr VULGATA Isaias 7,14-16 propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitis nomen eius Emmanuhel. **(15) Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum** (16), quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duum regum suorum.

MYTHI GRAECORUM

Tres labores Herculis priores



Hercules cum leone Nemeo luctans, a.1514/1546, opus tectorium, quod pinxit Giulio Romano. Invenitur in Sala dei Cavalli, Palazzo del Tè Mantua.

Primus labor, quem rex Herculi mandavit exanclandum, in eo constitit, ut ab illo pellis leonis Nemei sibi esset afferenda. Istud monstrum habitabat in silvis Peloponnesi, quae inter Cleonas Nemeamque sunt sitae, in plagâ Argolidis. Non poterat fieri, ut iste leo vulneraretur armis humanis. Alii dicebant istum esse filium Typhonis gigantis Echidnaeque serpentis, alii istum a lunâ ad terram decidisse. Itaque Hercules adversus istum leonem profectus est; dorso imposuerat pharetram, alteri manui arcum, alteri clavam, quam confecerat ex oleastro in Helicone invento atque eradicato. In silvam Nemeae cum venisset, Hercules quoquoersus oculos convertebat, ut bestiam illam rapacem inveniret, antequam conspiceretur ab illo. Meridies fuit; Hercules nullo loco invênit vestigium leonis, nullo loco semitam, quae ducebat ad illius cubile; nam nullum hominem invênit in campo prope tauros aut in silvâ apud arbores versantem: omnes timore affecti in villis suis remanebant conclusi. Hercules per totum tempus postmeridianum lucum frondosum pervagabatur promptus experiri, num

robur sibi sufficeret ad leonem superandum, dummodo conspiceret. Tandem versus vesperum leo per viam silvestrem accucurrit, ut praedâ captâ rediret ad cavernam suam: qui erat carne atque sanguine saturatus, caput, iuba, pectus sanguine homicidiali madebant, leo linguâ mentum lambebat. Heros, qui bestiam vidit e longinquo venientem, in dumetum silvestre se abdens vitam suam servavit, exspectavit, dum leo appropinquaret, et sagittam iaculatus est in latus coxis coxendicique intersitum. At telum non carnem leonis pervasit, sed tamquam lapide reiectum in humum silvae muscosam revolavit. Bestia autem caput, quod antea ad humum verterat, nunc sustulit, oculos quocumque torquebat et rostro raptim aperto ostentavit dentes atrocissimos. Itaque leo semideo pectus porrexit, ille autem celeriter alteram sagittam iaculatus est, ut feriret sedem respirandi mediam; at nunc quoque telum non pervasit cutem, sed pectore reiectum decidit ad monstri pedes. Hercules modo manum erigebat ad tertiam sagittam capiendam, cum leo oculis seorsim conversis virum conspexit; caudam longam usque ad poplites posteriores attraxit, tota cervix irâ intumuit, fremitu exorto iuba cohorrui, dorsum in arcûs formam incurvatum est. Leo impetum facturum saliens in adversarium invectus est. Hercules autem sagittis e manu, pellem leoninam sui ipsius e dorso abiectis, dextrâ manu clavam super caput bestiae vibratam cervici impegit, ut leo saliens impeditus humum deiceretur pedibusque trementibus, capite vacillante consisteret. Ne respisceret, Hercules leoni praevenit; arcu pharetrâque humum deiecit, ut ex integro expediretur, a tergo bestiae appropinquavit, brachiis cervicem amplexus gulam compressit, dum leo suffocatus animam suam immanem ad inferos remitteret. Diu Hercules frustra conabatur pellem leonis occisi detrahere; quae nulli ferro, nulli lapidi cessit. Tandem viro in mentem vênit pellem detrahere unguibus bestiae ipsius; hoc statim contigit. Postea ex hac pelle leonis magnificâ confecit loriam, e rostro novam galeam; nunc autem vestem armaque, quibus indutus venerat, recepit et pelle leonis Nemei brachio impositâ revertit Tirynthem. Rex autem Eurystheus Herculem cum conspiceret pellem bestiae atrocissimae apportantem, robore herois divino tam vehementer territus est, ut reperet in ollam aheneam. Neque umquam postea passus est Herculem sibi appropinquare, sed mandata sua iussit Copreum filium Pelopis extra moenia ad Herculem perferre.

Alter labor heroi mandatus erat occisio Hydrae, quae etiam erat proles Typhonis atque Echidnae. Quae serpens in Argolidis palude Lernaeanâ adoleverat et solebat in terram evenire pecora direptura agrosque vastatura; istud monstrum erat ingenti magnitudine, novem capitibus instructum, quorum octo erant mortalia, sed medium erat immortale.



Hercules contra Hydram pugnans. Pinxit Ken Barthelmey.

Hercules etiam ad hanc pugnam faciendam audacter profectus est; statim currum ascendit; postquam lolaus eius nepos dilectus, filius Iphiclis fratris sui uterini*, qui per longum tempus mansit eius sodalis inseparabilis, moderator equorum iuxta Herculem consedit, Lernam volaverunt. Tandem Hydra apparuit in colle quodam prope fontes Amymonae sito, ubi erat huius bestiae caverna. Ibi Hercules lolauum iussit equos sistere; de curru saluit et sagittas ardentes iaculans serpentem novem capitibus praeditam coegit, ut cubile suum relinqueret. Hydra autem sibilans erepsit, eius novem colla erecta supra corpus vacillabant tamquam rami arboris, qui procellâ quassantur. Hercules intrepidus serpentem aggressus fortiter correptam retinuit. Hydra autem alterum Herculis pedem circumplicavit insuper impetum non arcens. Nunc heros coepit clavâ suâ Hydrae capita discidere. At hoc opus finire non poterat. Quocumque capite disciso duo succrescebant nova. Simul Hydra adiuta est ab ingenti cancro, qui herois pedem corripiebat forcipibus suis. Quo autem clavâ occiso Hercules lolauum

***Frâter uterînus** i.e. frater, qui habet eandem matrem ac Hercules (Alcumenam), sed alium patrem (Amphitryonem); nam Hercules est filius Iovis. Notio contraria est **frâter cōsanguineus**, i.e. frater, cui est îdem pater, sed alia mater. cfr VULG.genes.43,29; 44,20. COD.IUST. 5,62,21; 6,59,15. Notio generalis est **frâter nōn germânus**. cfr theod. *Stiefbruder, Halbbruder (mütterlicherseits/väterlicherseits)*; angl. *step-brother, half-brother (uterine/consanguineous)*; fr. *demi-frère (utérin/consanguin)*; hisp. *medio hermano, hermanastro (uterino/consanguineo)*; ital. *fratellastro, fratello unilaterale (fratello uterino/consanguineo)*.

advocavit, ut sibi adesset. Idem sodalis iam praeparavit taedam; qua partem silvae propinquae accendit; eo quod arbores accensas iniebat in capita serpentis pullulantia, eadem impediabat, ne pergerent succrescere. Hôc modo heros capita succrescentia cohibuit necnon amputavit Hydrae caput immortale; hoc iuxta viam sepelivit, sepulchro imposuit saxum ponderosum. Truncum autem Hydrae in duas partes dissecuit, sagittas suas in Hydrae sanguinem intinxit, qui erat venenosus. Ex hôc tempore sagittis herois vulnera effecta sunt insanabilia.



**Hercules cervam vincit cornibus aureis ornatam. Pinxit Adolf Schmidt (1804-1865).
Haec pictura invenitur Berolini, in Musei Novi oeco tholi borealis (*Nordkuppelsaal*).**

Tertium Herculi ab Eurystheo mandatum erat, ut cervam Cerynitidem caperet vivam; quae cerva erat animal magnificum, cornibus aureis aeneisque pedibus instructum, pascens in colle quodam Arcadiae. Quae cerva erat una e quinque illis, quas venans Diana dea primum absolverat venandi tirocinium. Hanc e quinque solam Diana siverat recurrere in silvas, quia fato erat destinatum, ut Hercules aliquando hac cervâ venandâ fatigaretur. Per integrum annum eam persecutus est, hac in venatione advênit Hyperboreos et ad fontes fluminis Histri, tandem cervam assecutus est ad fluvium Ladonem, haud procul ab urbe Oenoe, prope montem Artemisium. Sed hanc bestiam nescivit capere nisi ictu sagittae debilitavit et umeris impositam in Arcadiam portavit. Ibi Hercules incidit in deam Dianam cum Apolline ambulanti, quae Herculi praedam ereptura eum

vituperavit, quod animal sibi sanctum necare voluisset. Hercules autem, ut rationem redderet: »O magna dea« inquit »nullâ petulantîâ adductus sum, ut hoc facerem, sed necessitate coactus; alioquin quid facerem ab Eurystheo mandatus?« Ita irâ deae placatâ Hercules bestiam Mycenas reportavit vivam.


**TRES LABORES HERCULIS PRIORES
A GUSTAVO SCHWAB NARRATOS
IN LATINUM CONVERTIT**

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>



NUNC TANDEM

CRABATUS LATINUS

ÊDITUS EST.

TOLLE LEGE LAETARE !



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>

Hic liber habet 363 paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 21 paginas. Liber constat 49,00 € et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-35-3. TOLLE LEGE !



ECCE BUTYRUM ET MEL

QUAE COMEDAS, CARA LECTRIX, CARE LECTOR,

UT SCIAS

REPROBARE MALUM ET ELIGERE BONUM !

2. SACERDOTES LIBERO ORE LOQUENTES (III):

Qui impetûs facti sint in Olaum Latzel pastorem animarum.



OLAUS LATZEL

UTRUM IUSTĀ CAUSĀ

A PRAEDICANDO PROHIBENDUS EST,

AN LEVITER TANTUM LABITUR

LOQUENS NIMIS APERTĒ?

Homiliam Latzelianam ab Ecclesiâ Bremensi acriter reprobari

http://www.weser-kurier.de/bremen/bremen-stadtreport_artikel,-Pastoren-stellen-sich-gegen-Predigt-von-Olaf-Latzel-_arid,1049247.html

Manifestatio ante ecclesiam cathedralis Bremensem facta

Pastores homiliam Olai Latzelii reprobant

d.04. m.Febr. a.2015

Complures decuriae pastorum Ecclesiae Evangelicae Bremensis publicè contradixerunt homiliae pastoris Olai Latzel litigiosae. Qui toechocollemata¹ sustulerunt, quibus inscripta erant verba: »*Brema est multicolor! Nos vivimus multiplicitem colentes!*« die Mercurii in gradibus ecclesiae cathedralis Bremensis.



Ecce pastores animarum evangelici in gradibus Bremensis ecclesiae cathedralis stantes toechocollemata ostentantes, quibus inscripta sunt verba: „BREMA EST MULTICOLOR. NOS VIVIMUS MULTIPLICITATEM COLENTES”.

Idem clerici in quodam folio volatico scripserunt: »Non patimur modum, quo nuper in paroeciâ Sancti Martini textûs biblici, qui sunt aetate aliquot millenniorum, e contextu historico erepti sunt«.

Latzelius in homiliâ suâ d.18.m.Ian. habitâ alias religiones laeserat ideoque se die Martis excusaverat. Homiliâ illâ, in qua Latzelius praeter alia sollemnitatem sacchari islamicam appellaverat »stultitiam«, reliquias

¹ *toechocollema, -atis n. i.e. orig. *Plakat*.

Ecclesiae Catholicae sacras »sordes« necnon Buddham »senilem dominum pinguem«, effectus est turbo indignationis¹.

Pastores animarum scripserunt haec: »Nos planê reprobamus fundamentalismum cuiusvis generis – necnon omnia conata misoxeniam², islamophobiam³, antisemitismum cogitationesve phyletisticas⁴ fide simulatê biblicâ velandi«.

http://www.weser-kurier.de/bremen/bremen-stadtreport_artikel,-Staatsanwaltschaft-fordert-Latzel-Predigt-an-_arid,1044719.html

Homiliam inquisitum iri, num fuerit demagogica, i.e. num eâdem populus sit instigatus

Actorem publicum postulare, ut sibi tradatur homilia Latzeliana

Scripsit Anke Landwehr d.29. m.Ian. a.2015, in Latinum convertit Nicolaus Groß

Nuperrimê actor publicus illius homiliae, quam Pastor Olaus Latzelius d.18. m.Ian. habuerat in ecclesiâ Sancti Martini, ab astynomiâ postulavit copiam scriptam.



**Ecce Ecclesia Sancti Martini in Bremae parte vestustiore sita
Pastor parociae vituperatur propter homiliam, quam habuit d.18. m.Ian.**

¹ cfr VULG. Ierem. 23,19 Ecce **turbo** dominicae **indignationis** egredietur et tempestas erumpens super caput impiorum veniet. orig. *ein Sturm der Entrüstung*.

² ***mīsoxénia**, -ae f., i.e. odium adversus homines extraneos. cfr Hugo Grotius, Annotationes in Novum Testamentum denuo emendatus editae, vol.IX, continen indices, Groningae a.1834, p.169: „Odium Iudaeis praescriptum adversus extraneos quosdam quousque extendi debuerit.“ - Saepe falso usurpatur verbum ***xenophóbiae**, quod reverâ non significat odium, sed timorem extraneorum, quo aliquis afficitur..

³ Etiam verbum ***islamophóbiae** (quod polemicum confinxisse videtur Ruhollah Khomeini [1902-1989], Iraniae tyrannus islamicus crudelissimus), saepe usurpatur sensu falso. Non est odium, sed timor islami.

⁴ ***phylētisticus**, -a, -um i.q. theod. *rassistisch*, angl. *racistic*. cfr phyle, -es f. [VOX LATINA 32/73,37; cfr ***phylēticus**, -a, -um; eâdem ratione licet confingere verba, q.s. ***phylētismus**, ***phylētista**, ***phylētisticus**], i.e. theod. *Rasse*, angl. *race*. Haec notio aut ignorantiae aut offuciarum polemicarum causâ saepissimê usurpatur sensu falso. E.g. religio non est phyle; ergo criticus islami non est ***phyletista**.

Ut iam die Mercurii rettulimus, magistratus prosecutionis poenalis⁵ vult inquirere, num hic sacerdos accusandus sit demagogiae. Praepositi Ecclesiae Evangelicae Bremensis verba Latzelii dixerunt esse »intolerabilia« necnon eidem obiecerunt, quod excitaret misoxeniam. Pastor ipse hoc negat. Sibi potius cordi esse »purificationem in domo propriâ faciendam«.

Qui in homiliâ suâ cum alia tum dixerat islamum non pertinere ad Germaniam sollemnitateque sacchari muslimorum esse »stultitiam«. Neque mores Ecclesiae Catholicae Latzelio videntur placere dicenti de »sorde reliquiarum«. Receptio magnetophonica homiliae actori publico iam est allata. At *Frank Passade* eius locutor die Iovis »Sed ut hanc homiliam sat aptê existimemus« inquit »oportet habeamus textum litteris scriptum«.

**RELATIONES AB ANKE LANDWEHR
DE PASTORE OLAO LATZEL SCRIPTAS
D.29. M.IAN. ET D.4. M.FEBR. A.2015
IN EPHEMERIDE Q.D. »WESERKURIER«
DIVULGATAS
IN LATINUM CONVERTIT**

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

⁵ orig. *Strafverfolgungsbehörde*.

<https://17juni1953.wordpress.com/tag/jeanette-querfurt/>

Christianos Bremenses Evangelicos tumultuari

d.7. m.Febr. a.2015, – Nonnullis iam diebus postquam manifestaverunt septuaginta ferê parochi ante ecclesiam Sancti Martini cathedralem se reprobare allocutionem collegae sui Olai Latzelii d.18. m.Ian. in ecclesiâ Sancti Martini factam, quam dixerunt esse »homiliam odii«, christiani evangelici in urbe Germaniae borealis mercatoriâ, quae dicitur esse liberalis, nondum requieverunt. Per totam Germaniam diurnarii referunt de oratione Latzelii philippicâ, quae appellatur cum aliis tum nomine, quod est »Homilia Pegidana«.⁶

Crastino die Dominico ecclesia Sancti Martini inter servitium sacrum ab astyphylacibus obtegetur. Olaus Latzelius iam annuntiaverat se nonnulla declaraturum esse de homiliâ suâ litigiosâ. Astynomi putant factum iri »reclamationes vividas«. Infra allaturi sumus nonnullas sententias ab hominibus vividê inter se disputantibus dictas...

Pastor Bernd Klingbeil-Jahr: »*Hic est fundamentalismus classicus. Ne quis se ipsum appellet bibliae fidelem, qui textibus biblicis utitur tamquam clavabus. Non agimus de modo loquendi, sed de persuasione, quam vituperemus. Valdê difficile est et perquam periculosum, quod minoritas quaedam paroeciarum Bremensium sentit more missionarii necessarium esse, ut homines aliarum religionum fiant christiani, quia alioquin non inveniant viam ad Iesum Christum unicê salutarem.*«

Wolfgang Reinbold rebus islamicis mandatus: »*Nemo religiones vult commiscere et construere genus quoddam superreligionis. Praecipuê quaerendum est, utrum petamus dialogum cum muslimis faciendum an recusantes verba faciamus polemica.*«

Jeanette Querfurt, rebus politicis ab ecclesiâ evangelicâ Bremensi mandata: »*Hîc praedicatur odium.*«

⁶ orig. *Pegida-Predigt*. PEGIDA, i.e. „Patriotische Europäer Gegen die Islamisierung Des Abendlandes“, quod significat Patriotas Europaei islamizationi terrae occidentis adversantes. Haec congregatio, cuius participes sunt aliquot decem milia, interdum viginti trigintave milia civium, in urbe Dresdâ Saxonum ex anno fieri solet omni die Lunae. Pegidistarum numerus augetur propter ingentem labînam extraneorum syngraphis abiectis illicitê immigrantium, quae ingravescit, ex quo limes Germaniae apertus est iussu cancellariae inepta verba invitatoria facientis. Quo usque tandem, Angela, abutêre patientiâ nostrâ?



JEANNETTE QUERFURTH PASTRIX BREMENSIS:
A Latzelio praedicari odium, sed Bremam esse urbem multicolorem.

Renke Brahms, summus Bremensis Ecclesiae Evangelicae repraesentator et secretarius: »*Ista homilia est hominum instigatio*«. Tali homiliâ facile effici posse, »*ut vis afferatur hominibus extraneis, aliarum religionum fidelibus asylique petitoribus.*«



PASTOR RENKE BRAHMS
SECRETARIUS
ECCLESIAE BREMENSIS

Pastor Bernd Kuschnerus, Renkei Brahms vicarius: »*Valdê consternatus sum, quod aliquis utitur modo loquendi tam indecenti.*«

Jens Böhrnsen, Bremae burgimagister (qui est politicae partis socialisticae): *»Hac re (i.e. homiliâ) homines evocantur ad pugnam religionum faciendam neque ad hoc, quo egemus, ut in nostrâ urbe servetur pax socialis, id est ad dialogum religionum cultuumque civilium.«*

Jochen Grabler, redactor radiophoniae Bremensis principalis: *»Oportet seditio fiat contra praedicatores odii, qualis est Latzelius, quibus non iam licet inesse Bremensi Ecclesiae Evangelicae.«*

Matthias Güldner, praeses fractionis Prasinorum⁷:
»Latzelius quadamtenus ramento flammifero tractat dolium pulveris pyrii.«

Pastor Johannes Müller, repraesentator ipsius BEK (Bremensis Ecclesiae Evangelicae): *»Haec est res paroeciae cuidam propria, cui immiscere mihi non licet. Homiliam Latzelii audivi. Equidem eam non habuissem.«*



Pastor Ulrich Rüß Hammaburgensis

Pastor Ulrich Rüß, praeses *»Conferentiae sodaliciozum in ecclesiis evangelicis confitentium«*: *»Hodie egemus pluribus homiliis Christi claris et dilucidis, etiamsi sacerdotes periculum subeunt, ne increpitentur, diffamentur, stigmatate deformatur; nam omnibus aetatibus fieri poterat, ut testimonium Christi recusaretur atque respueretur. At sine eodem testimonio neque exstaret hic cultus civilis neque iurisdictio. Nemo eget illis hypocritis atque proditoribus fidei propriae, qui stultitiis multicoloribus dediti torvum renidentes in scalis Bremensis ecclesiae cathedralis stantes parati erant prodere unum ex suis, ut servarent mendacium, quo contenditur christianos cum islamo posse convivere pacificê; minimum illis hypocritis atque proditoribus egent ii christiani, quos islamus eiusque catervae*

⁷ Prâsini, -orum m.pl., orig. *die Grünen*, i.e. pars politica, cuius membra contendunt se rebus oecologicis specialiter esse deditos.

homicidiales ubique terrarum fugant, persecuntur, torquent, trucidant. At iidem egent ecclesiae viris audacibus atque fortibus, qualis est Pastor Olaus Latzel«. ⁸

Olaf Latzel: »*Equidem in futuris caput non demittam. Mihi munus est mandatum a Iesu Christo domino meo et servatore. Eidem mihi ratio reddenda est. Si in te christianum nulli fiunt impetûs, christianitas tua aliquatenus est falsa.*«

Taz (*Tageszeitung*, i.e. Ephemeris diurna Berolinensis): »*Ex illo tempore turbo fit litigationum, et in foris disputationum evangelicalibus, quale est idea.de, Latzelius nunc est rex. In interreti îdem iam comparatus est cum Iesu.*«

Peter Voith, *Weser-Kurier* d.4. m. Febr. a.2015: «*Klare Ansage*»: Colloquio cum Pastore Latzel facto, declaratione diurnariâ, cui inest vocabulum excusationis, scriptâ – num nunc est silentium? Fortasse hoc speraverunt Bremensis Ecclesiae Evangelicae (BEK) summi repraesentatores. At neque pastor Sancti Martini fundamentalista neque pastores dialogo tolerantiaeque dediti silebunt. Num invenient compromissa? In hac lite fundamentali hoc fieri non potest.

Ergo quid faciant? Quidcumque facient – ne ambages faciant cunctantes excusatiunculis usi parum valentibus aut simulatis. Aut Bremensis Ecclesia Evangelica stabit constitutione suâ, qua singulis paroeciis conceditur autonomia quaestionum fidei et concientiae et doctrinae, qualis est in totius Germaniae ecclesiis evangelicis unica. Si hanc constitutionem servaverit – Ecclesia Bremensis Evangelica – exceptis rebus iure poenali puniendis – pati etiam debebit opiniones Olai Latzelii quoad condiciones mulierum ecclesiasticas, quoad tolerantiam hominum alîus fidei

⁸ Babae! Quam verê, quam sincerê loquitur hic sacerdos! Eius confratres plerique solent nihil facere nisi verba lapsantia more canino gubernantibus adulantes! Lege textum originale: „*Wir brauchen heute mehr eindeutige Christuspredigten, auch auf die Gefahr hin, beschimpft, abgestempelt und verleumdet zu werden, zu allen Zeiten ist das Zeugnis Christi auf Ablehnung und Widerspruch gestoßen. Aber ohne dieses gäbe es weder die hiesige Kultur noch Rechtsprechung. Niemand braucht jene Heuchler und Verräter am eigenen Glauben, die da buntblöd grinsend auf der Treppe des Bremers Domes standen, bereit einen der ihren zu opfern, für die Lüge vom friedlichen Zusammenleben mit dem Islam, am aller wenigsten die vom Islam und seinen Mörderbanden weltweit vertriebenen, verfolgten, gefolterten und abgeschlachteten Christen. Aber sie brauchen mutige, tapfere Kirchenvertreter wie Pastor Olaf Latzel*«.

deficientem, quoad homines homosexuales. Aut Ecclesia Bremensis Evangelica affirmabit paroeciam Sancti Martini nullo modo congruere cum notione christianismi. Si ita erit, oportet Ecclesia Bremensis constitutionem suam ita mutet, ut tollat autonomiam paroeciarum singularum. Necnon autonomiam paroeciae Sancti Martini.

**SENTENTIAS A VARIIS HOMINIBUS
DE PASTORE OLAO LATZEL DICTAS
A PETRO VOITH COLLECTAS
ET
COMMENTARIOLO, C.T. »KLARE ANSAGE« ADIECTO
D.4. M.FEBR. A.2015
IN EPHEMERIDE Q.D. »WESERKURIER«
DIVULGATAS
IN LATINUM CONVERTIT**

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS



Recitator

Fabula romanica

quam theodiscê scripsit
Bernhard Schlink

in Latinum convertit
Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoriâ, quae appellatur
LEO LATINUS

Senden in oppido Bavariæ Suebicae
a. 2012

Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45,90 € (quadraginta quinque euronibus nonaginta centiis) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM

Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !

<https://www.youtube.com/watch?v=YqoLw2ogfvc>
Moderator radiophoniae Pastorem Latzel interrogat



Moderator: Heri rettulimus de quadam homiliâ, quae habita erat in Ecclesiâ Sancti Martini, homiliâ, in qua pastor evangelicus invehitur in alias religiones et qua nunc efficitur magna indignatio. Bremensis Ecclesia Evangelica declarat se dissentire ab hac homiliâ. Eius theologus summus, qui est nomine *Renke Brahms*, hodie illam homiliam appellavit *instigationem dolosam*⁹. Verba Latzeliana ferenda non esse iisdemque facile fieri posse, ut vis afferretur hominibus aliis religionis aut asylum petentibus. Quid dicit ipse pastor, qui hanc homiliam habuit? Mox loquar cum Pastore Olao Latzelio. Antea *Frido Essen* referet de responsis aliorum.

Frido: Hîc in loculamento ostensivo¹⁰ propagatur misericordia. At nescimus an multi Bremenses in paroeciâ Sancti Martini non iam sibi videantur verê grati esse. Hoc effectum est verbis Pastoris Olai Latzelii, qualia sunt haec in quadam homiliâ dicta: »*Unus tantum Deus verus est! Nobis nulla potest esse cum islamo communitas. Hoc est peccatum, hoc ne fiat ! Ab hac re debemus nos purificare. Islamus non pertinet ad Germaniam. Scio, si ad publicum prodiero et haec clarê dixerò, fore, ut nonnulli homines mihi resistant. ... At hoc est, quod Deus a nobis postulat*«.

⁹ orig. *geistige Brandstiftung*.

¹⁰ orig. *Schaukasten*.

Frido: In viâ hodie verba pastoris colloquiis tractantur. Omnes cives Bremenses videntur inter se consentire:

Mulier 1: »Quod parochus aliam religionem diffamat, malam dicit, et de hac re loquitur verbis tam duris – istud mihi videtur perquam terribile«.

Vir 1: »Modo ante quadrans horae inter nos de hac re collocuti sumus, necnon praeterimus hanc ecclesiam nobis proximam; nos omnino non intellegimus, incredibile est, quaenam iste fecerit....«

Mulier 2: »Oportet ille fidei suae immaneat neve tam vehementer evagetur... quod mihi videtur non decere«.

Frido: Muslimica sollemnitas sacchari a pastore in homiliâ appellatur *stultitia*, necnon dicit alia symbola religiosa esse *succidenda, comburenda, caedenda*, hoc a Deo postulari. Etiam *Jens Börnsen*, qui est burgimagister atque senator ecclesiasticus, animo est consternato:

Burgimagister: »Ex iis partibus homiliae, quas audivi, cognovi homines evocatos esse ad pugnam religionum, neque ad hoc efficiendum, quo egemus in urbe nostrâ, ut servetur pax socialis, id est ad dialogum efficiendum religionum atque cultuum civilium. Itaque sollicitor«.

Frido: Paroecia Sancti Martini est etiam membrum Confoederationis Evangelicae¹¹, retificii¹² ecclesiarum Bremensium. Ibi autem hodie nemo voluit interrogari – dixerunt se nolle oleum flammae addere. Et:

Locutor: »Scilicet nos etiam conati simus colloqui cum praeside paroeciae Sancti Martini. At hodie nemo ante cameram voluit loqui de re tractandâ. Unus autem praesidum telephonicê nobis dixit ad unum omnes paroeciales consentire cum pastore suo et verba, quae ille citavisset, omnia invenirentur in bibliâ«.

Moderator: Pastor Latzelius ipse vênit. Paroecia tua perquam clarê tecum consentit, item praesides ecclesiae, sed Bremensis Ecclesia Evangelica evidenter a te dissentit. Bremenses ecclesiastici iamne te allocuti sunt?

Latzel: Adhuc nemo illorum me ipsum allocutus est. Ego quoque has res e diurnariorum relationibus accepi, hodie mâne breve habui colloquium neque has res intellego. Homilia quam habui, certê est dura, sed ea, quae mihi nunc supponuntur, sunt falso concisa et e contextu erepta. Clarê affirmo unam solam viam esse ad vitam aeternam ineundam, per Iesum

¹¹ Confoederatio Evangelica, orig. *Evangelische Allianz*.

¹² *retificium, -ii n., orig. *Netzwerk*.

Christum, ideoque non possum affirmare religiones alias. At haud minus clarê atque dilucidê in hac homiliâ dixi negare buddhismum aliamve religionem non esse id quod negare buddhistam aut muslimum. Hanc claram distinctionem magni facio et in homiliâ dixi me non, ut falso supponitur, evocare ad odium, sed e contrario dixi haec: »Si quae vis affertur muslimis aut Iudaeis aut buddhistis aut quibusvis aliis hominibus, nos officio obligamur illos adiuvandi«. Fide christianâ cum omni violentia vetetur, ego ipse scilicet sic sentiam; quare nunc ecclesia mea propria mihi supponat me ad vim adhibendam evocare, perquam attonitus omnino non intellego.

Moderator: At hoc facile est intellectu. Tu religionem admodum clarê diffamasti, in ipsâ quoque homiliâ tuâ: ‚Sollemnitas sacchari – en quanta stultitia! – Buddha – crassus senex pingui altari impositus – catholici eorumque sordes reliquiarum’ – Cur laedis religiones?

Latzel: Non laesi. Dixi, licet muslimi celebrent suam sollemnitatem sacchari – numquam illos propterea laedam – , at stultum esse nos cum iis unâ illam celebrare, nos non posse sollemnitates celebrare unâ cum muslimis, haud potius quam illi possent nobiscum celebrare nostrum Natale Domini et Festum Paschae. Id dixi in hęc contextu.

Moderator: At reverâ dixisti sollemnitatem sacchari esse stultitiam ...

Latzel: Ista concelebratio, ista concelebratio atque ista congressio, ista religionum commixtio – isti rei óbloquor. Equidem etiam reprobavi, quod muslimi laesi erant gryllis illis ipsius *Charlie Hebdo*. Parisiis facta sunt scelera horribilia, tamen non decet sensûs hominum religiosos laedere – hoc est falsum et equidem nequaquam hoc facere volo. At nolo etiam commisceri neque volo audire: ‚Vos omnes eundem deum habetis’. Hoc enim erat causae, cur homiliam illam haberem, quod hęc, Bremâ in urbe postulatur: ‚Nos volumus habere ‚Domum Unius’ – at hoc non licet – et hac re ipsâ oportet religiones clarê unam ab alterâ distinguamus.

Moderator: Tamen illam rem iterum velim tractare... Tetigisti illas attentationes Parisienses. Condicio nostra est extraordinaria. Raro umquam nobis islamoque tanta intercessit simultas. Cur ipso in hęc tempore oleum addis flammae?

Latzel: Nolo addere oleum flammae...

Moderator: ---at hoc fecisti! ---

Latzel: Si verba mea tam falso intellecta sunt, nunc dicendum est quam clarissimè: Si ecclesiae repraesentatores promulgant fieri posse, ut nos unâ cum imamibus oremus aut ut oremus unâ cum buddhistis, equidem pro certo habeo mihi ad ipsam bibliam provocandum esse, meque non subiectum esse cuivis spiritui saeculi. Sive mihi est tempus commodum sive incommodum, debeo praedicare viam ad Iesum Christum unicè salutarem. Scilicet ideo alias religiones excludi. Si hoc clarè dico ideoque mihi quadamtenus nota agglutinabitur, qua dicar esse evangelicalis bibliaeque fidelis – hoc libenter feram. At sic dicens non praedico odium. Ut iterum dicam: Volo Bremam esse multicolorem. Die Dominico proximo praeterito homiliam habui in paroeciâ syrico-arabicâ. Equidem adiuvo homines huc venientes. In nostrâ quoque paroeciâ sunt homines, qui immigraverunt, oriundi ex Indonesiâ, ex Angliâ, ...

Moderator: Libenter audimus te sic rationem reddere, sed puto te verba critica intellexisse, quae in posterum quoque tibi erunt tractanda... Olâe Latzel, multas gratias tibi agimus, quod nos visitasti in officinâ nostrâ televisificâ.

Latzel: Utinam sis Deo mandatus, bene vale.

https://www.youtube.com/watch?v=vgszRw_YxB8

Pastorem bibliae fidelem a paroeciâ suâ defendi

Moderator: Biblia non solum unâ ratione intellegitur, sed permultis. Hoc est, ut sincerè dicam, non novum, sed – hoc autem didicimus his septimanis praeteritis – caritati proximorum parum est conducibile, si pastor animarum suam praedicat rationem bibliam intellegendi eoque ipso laedit religiones alias. Bremensis Ecclesia Evangelica deinde declaravit se ab Olao Latzel dissentire. Nonnullae pastrices nonnullique pastores ad ipsam viam prodierunt, ut nuntiarent se aliter sentire. Hodie autem Pastor Latzelius denuo praedicavit – primo postquam factus est turbo indignationis. *Sebastianus Manz* adfuit.

Sebastianus: Primo obtutu tempus diei Dominici in paroeciâ Sancti Martini antemeridianum fuit perquam solitum – at primo tantum obtutu. Factum est servitium sacrum astyphylacibus tutantibus. Astynomi dixerunt non fuisse quidem causas speciales, sed propter rixas vehementes de Olai Latzelii homiliâ litigiosâ factas se praesentiâ suâ cavere voluisse, ne quid peius fieret. Praesentes quoque fuerunt ecclesiae frequentatores – aliquot centum in ecclesiam Sancti Martini influxerunt. Qui partim venerant ex totâ Germaniâ boreo-occidentali – plerique, ut pastor suum adiuverent.

Vir 1: »Mihi placet nunc tot homines homiliam audire. Hoc mihi videtur admodum oblectabile. Usus verborum certê fuerat aliquatenus durus. Sed eâ de causâ se excusavit«.

Vir 2: »Puto ea quae actis diurnis inscripta erant, e contextu erepta esse. In summâ nos pastori assentimur«.

Interrogator: »Quid exspectas hodie servitium divinum participaturus?«

Vir 3: »Deum nobis fore propinquum«.

Diurnarii in loco fuerunt numerosi. Qui non ita grati erant plerisque christifidelibus. Multa paroeciae membra putant pastorem suum falso descriptum esse. Nonnulli ecclesiae frequentatores diurnarios laborantes cinematographaverunt, nonnulli inurbano more locuti sunt, unus ne manibus quidem temperavit.

Vir 4: »Abi! Desine!«

In ecclesiâ non permissum erat ûti cameris. Pastor atque praesides non parati erant ad colloquia interrogatoria habenda. Ea quae declarata sunt de Olai Latzelii homiliâ litigiosâ, hac de causâ reddere non possumus nisi litteris scriptis:

„[...] Si nonnullis verbis eius alii laesi sunt, hoc dolentes rogamus – nomine quoque Pastoris Latzelii – ut excusetur [...] Praesides et paroeciales pastori suo gratias agunt pro verbo Dei clarê et secundum bibliam enuntiato. Praesides ad unum omnes cum pastore consentiunt.“

Olaus Latzelius ipse hodie gratias egit pro largâ assensione his septimanis praeteritis acceptâ. Servitium divinum finitum est ovationibus statariis pastori dedicatis – et gratiis, quas frequentatores ecclesiae praesidibus egerunt, quod sententiam suam clarê manifestassent.

Vir 1: »Placuit mihi, quod verbis elatum est paroeciam et praesides cum pastore consentire, sed hoc a diurnariis falso descriptum esse«.

Mulier: »Licet ei dicere quaecumque vult. Indignamur de rebus terribilibus in Francogalliâ factis – de his nunc loqui non est necessarium. At actum est de libertate sententiae. Quidni ei licet dicere, quid cogitet et sentiat? Accedit, quod nunc audivi homiliam ab eo habitam esse liberê (sine textu verbatim praeparato). Is sacerdos certê loquitur animo valdê commoto, rem tractat subtiliter, sed considerat nos homines«.

Vir 5: »Rectissimê fecit. Equidem valdê gaudeo, quod mihi adhuc licuit talem rem experiri«.

Paroecia Martini putat se hodie huic rei finem imposuisse. At nescimus an finitae sint litigationes de hac re faciendae.

Moderator: *Sebastianus Manz* collega meus est apud me. Scilicet ei relinquendus fuerit grex camerariorum foris ante ecclesiam. At îdem vidit servitium divinum. Quid Pastor Olaus Latzelius dixit de diebus proximis praeteritis?

Sebastianus: Qui multo tectius locutus est quam nuperrimê, sed tamen parabolicê denuo tractavit condicionem, quae nunc valet. Latzelius enim dixit fidem veram tamquam semen esse ferendam foras in mundum, etsi non semper eadem caderet in humum fertilem, et ego cogito hanc esse condicionem, qua se ipsum esse modo credat. Îdem aliquantulum quoque locutus est de condicione suâ privatâ. Dixit hos dies praeteritos sibi fuisse perquam molestos. Dixit enim se rebus, quas passus esset, nullo modo obligatum esse, ut penderet vectigalia voluptatis¹³.

Moderator: Qui iam saepe vituperatus est, sed puto eum tantam vituperationem usque nunc nondum passum esse. Vidi ante ecclesiam nonnullos homines fuisse indignatissimos, unum manu cameram depulisse. Deinde septingenti homines in ecclesiâ fuerunt, i.e. eadem plenissima fuit. Qualisnam ibi fuit affectus animorum?

Sebastianus: Manifestatum est comprobari Olaum Latzelium. Puto hoc dicendum esse. Necnon magnam partem haec manifestatio erat pacifica. Homines venerant, ut pastorem suum adiuverent. Factae sunt ovationes statariae – hoc iam est commemoratum. Tamen fuerunt etiam nonnulli homines acriores. Vidimus nos laborantes cinematographatos esse – semel manibus non temperatum est et – quod in cinemate non auditur – homines praetereuntes nobis multa verba assibilaverunt indecora.

Moderator: Hoc autem factum est ante ecclesiam. »*Diurnarii mendacissimi*«¹⁴ his diebus est verbum frequentatissimum. Scilicet paroecia nunc velit isti rei finem imponere, sed – ut tu quoque dixisti – homines pergunt de eâ litigare. Proximus dies gravissimus erit dies Iovis proximus futurus, quo fiet conventus commissionis ecclesiasticae. Quid hic conventus valet, quid ibi poterit statui?

¹³ orig. *nicht vergnügungssteuerpflichtig*.

¹⁴ orig. *Lügenpresse*.

Sebastianus: Commissio ecclesiastica est Bremensis Ecclesiae Evangelicae commissio administrativa omnium gravissima. Praepositi ecclesiae hanc commissionem tanti faciunt, ut nondum velint aliquid dicere de opinione paroeciae Sancti Martini, quae hodie patefacta est, sed velint primo membris commissionis occasionem dare textum diligenter perlegendi, ut die Iovis statuam, quid faciendum sit.

Moderator: Omnibus autem rebus scilicet supersit id, quod inventurus sit actor publicus, qui pergat inquirere, num Latzelius facinus commiserit poenale.

Sebastianus: Actor publicus raro annuntiat, quando talem inquisitionem finiturus sit, sed verisimile nobis videtur hoc factum iri hac quoque septimanâ.

Moderator: Sebastiane Manz, gratias tibi ago, quod nos visitasti in officinâ nostrâ.

Sebastianus: Quod feci libenter.

DUAS EMISSIONES BREMENSIS STATIONIS TELEVISIFICAE

DIEBUS 2. ET 3. M.FEBR. FACTAS,

QUIBUS RELATUM EST

DE PASTORE OLAO LATZEL,

IN LATINUM CONVERTIT

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

DE RAPTORE HOTZENPLOTZIO

Fabula Casparuli
quam theodiscê narravit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoria, quae appellatur

LEO LATINUS

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM

VOCABULA VESTIARIA (VI)

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörterbuch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebeamus partem earum sextam, quae spectant ad res domesticas (VII. DOMESTICA). Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

I.ASTRONOMIA – II. TERRA – III.REGNUM PLANTARUM – IV.REGNUM ANIMALIUM – V.HOMO – VI.NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.DOMESTICA – VIII.AUTURGIA ET HORTICULTURA – IX.VESTIMENTA – X.RES ACCESSORIAE PERSONALES – XI.ARS ET ARCHITECTURA – XII.COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV.ENERGIA – XV.SCIENTIAE – XVI.ATHLETICA ET LUDICRA.

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas partem vestiariam huius enchiridii singularis sextam vocabulis Latinis ditificatam. Faveas, quaeso, operi nostro laborioso.

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

Theodisce	Anglice	Francogallice	Hispanice	Italice	LATINE
p.368 Babykleidung	newborn children's clothing	vêtements de nouveau-né	ropa de bebé	vestiti per neonati	vestīmenta īfantulōrum
Strampel- höschen	rompers	grenouillère	pantalón de peto	salopette a tutina	brāculae *rānāceae ¹
Schneesack	snuggle suit	nid d'ange	saco portabebé	tutina a sacco	saccus *īfantulārius
Badetuch mit Kapuze	hooded towelling rope	cape de bain	toalla con capuchón	telo di spugna con cappuccio	pannus balneāris cum caracallā
Kapuze	hood	capuche	capuchón	cappuccio	cucullus, -ī m.; caracalla, -ae f.
Zierborte	decorative braid	galon d'ornement	orla decorativa	guarnizione	patagīum, -īī n.
Paspel	false tuck	biais	falsa doblez	profilo sbieco	limbulus, -ī m.
Rüsch- strumpfhose	highly nylon tights	collant fantaisie	mallas con volantes	ghettina con ruches	tībiālia brācāria ruscāta
zweiteiliger Schlafanzug	babygro	dormeuse de croissance	pelele de dos piezas	pigiaino a due pezzi	vestis dormītōria bīpartīta
halsnaher Ausschnitt	crew neck	encolure ras-de- cou	cuello redondo	girocollo	capitium, -īī n.
Aufdruck	screen print	motif	dibujo	disegno stampato	rēs impressa
Bund mit Druckknöpfen	snap-fastening waist	pression à la taille	pretina con botones de presión	abbottonatura a pressione	bōtōnēs pressātilēs cīnctūrālēs
Fuß	foot	piéd	pie	pede	pēs, pedis m.
Latzhose mit hohem Rückenteil	high-back dungarees	salopette à dos montant	pantalón de peto	salopette	brāculae pectorālī altāque parte dorsālī īnstrūctae
verstellbarer Träger	adjustable strap	bretelle réglable	tirante ajustable	bretella regolabile	habēnula rēgulābilis
Lätzchen	bib	bavette	peto	pettorina	pectorāle, -is n.
aufgesetzte Tasche	patch pocket	poche plaquée	bolsillo de parche	tasca applicata	sacculus impositicius
Zier-Steppnaht	top stitching	surpiqûre	pespunte	impuntura	sūtūra ōrnātīva
Schlitz	fly	braguette	bragueta	patta	fissūra, -ae f.
Druckknopf- leiste an der Beininnenseite	inside-leg snap- fastening	entrejambe pressionné	botón de presión	interno gamba con abbottonatura a pressione	bōtōnēs pressātilēs femorum interiōrum
Hemdchen	shirt	brassière	camiseta	maglietta intima	camisiola, -ae f.
Windel	nappy	couche	pañal	pannolino	sparganum, -ī n.
Lätzchen	bib	bavoir	bavero	bavaglino	pectorāle, -is n.
Rüsch- höschen	frilly pants	culotte à ruchés	braga de volantes	mutandina con ruches	brāculae *ruscātae
Rüschchen	ruching	ruché	volantes	ruches	rusca, -ae f.

¹ <http://www.cnrtl.fr/lexicographie/grenouill%C3%A8re> «GRENOUILLÈRE, subst. fém., ... B. – [P. anal. de forme avec le corps de la grenouille] ...Combinaison pour bébé, en tissu extensible, avec bras, jambes et chaussons. Rien ne vaut la «grenouillère» en laine extra-fine dans laquelle le bébé est à l'aise pour gigoter (L'Écho de la mode, 30 oct., 1966, p. 51).». – Adiectivum latinum, q.e. «*ranaceus», invenitur in nominibus zoologicis: Ranaceae (familia), Gryllus ranaceus, Locusta ranacea, e.al.

Gummi-höschen	disposable nappy	couche-culotte	pañal desechable	pannolino usa e getta	brāculae cummeae
Haftgurtband, Klettverschluss	Velcro® closure	fermeture Velcro®	fermeture Velcro®	tirita Velcro® velcro®	clūsūra *lappācea²
dichtes Windel-höschen	waterproof pants	poche intérieure isolante	material impermeable	mutandina impermeable	brāculae impermeābiles
Wagenanzug	blanket sleeper, blanket sleep-suit, footie pajama	dormeuse-couverture	pelele	pigiaino	*lōdīcea³ vestis dormītōria
Rippen-bündchen	ribbing	bord-côte	tirilla elástica	bordo a coste	limbulus costātus
Reißverschluss	zip	fermeture à glissière	cremallera	chiusura lampo	clūsūra tractilis
Vinyl-Laufsohle	vinyle grip sole	semelle antidérapante	suela antiderrapante	soletta antiscivolo	solea +illābilis⁴
Schlafanzug	sleep suit	combinaison de nuit	pelele	pigiaino	vestis dormītōria
Raglanärmel	raglan sleeve	manche raglan	manga raglán	manica alla raglan	manica *Raglāniāna
Kinderbekleidung	children's clothing	vêtements d'enfant	ropa de niños	vestiti per bambini	vestīmenta ĩnfantulāria
Latzhose mit gekreuzten Rückenträgern	dungarees with crossover back straps	salopette à bretelles croisées	pantalones de peto	salopette con bretelle incrociate	brācae pectorālēs habēnīs decussātīs ĩnstrūctae
Träger mit Knopf	button strap	bretelle botonnée	tirante con botones	bretella abbottonabile	habēnula *bōtōniāta
Schneeanzug	snowsuit	esquimau	mono de esquí con capucha	tuta da sci	vestis nivālis
Kapuze mit Zugband	drawstring hood	capuchon coulissé	capucha con cordón	cappuccio con cordoncino	cucullus taeniā tractilī ĩnstrūctus
Verschluss mit verdeckter Knopfleiste	fly front closing	fermeture sous patte	cremallera	finta	clūsūra bōtōnibus tēctīs ĩnstrūcta
Schlafanzug in Schlupfform	slip-on pyjamas	polojama	pijama	pigiama	*illāpsilis vestis dormītōria
T-Shirt-Kleid	T-shirt dress	robe tee-shirt	camiseta de cuerpo entero	abito a T-shirt	camisia tōtīus corporis
Spielanzug	rompers	barboteuse	ranita	pagliacetto	vestis *rānācea
Sportset	training set	tenue d'exercice	conjunto deportivo	completo da ginnastica	synthesis gymnastica
Trägerhemdchen	vest	débardeur	camiseta	canottiera	camisiola *habēnāta

² *lappaceus, -a, -um: Hoc adiectivum inest nominibus botanicis, e.g. Ranunculus lappaceus, et zoologicis, e.g. Lernanthropus lappaceus (species vermium marinorum). Georges de Mestral, ingeniarius Helvetius, effectum lapparum adhaesivum expertus invenit textilem clusuram lappaceam. Haec clusura vĕnit sub nomine «Velcro», quod compositum est ex verbis francogallicis, q.s. «velours» (genus coriorum asperum) et «crochet» (uncus).

³ *lodiceus, -a, -um: derivavi a substantivo, q.e. lodix, -icis f., i.q. anglie blanket.

⁴ +illabilis, -e. Hoc adiectivum invenitur sensu translato in textibus philosophicis. Sed quidni idem adhibeamus sensu proprio? angl. nonslip; fr. antidérapant; hisp. antiderrapante; ital. antiscivolo; theod. rutschfest. cfr Encyklopädisches Lexikon in Bezug auf die neueste Literatur und Geschichte der Philosophie, Leipzig 1838, t.1, p.556: "Illabel (von labi fallen, fehlen, mit dem verneinenden in un), bedeutet unfehlbar, besonders in praktischer und moralischer Hinsicht; denn in theoretischer oder intellectualer sagt man lieber infallibel, untrüglich. Wie aber die Infallibilität keinem Menschen zukommt, so auch die Illabilität. Uebrigens findet man illabilis und illabilitas ebenso wie infallibilis und infallibilitas erst bei lateinischen Kirchenschriftstellern."

kurze Hose	shorts	short	pantalón corto	pantaloncini	brāculae curtae
Overall	jumpsuit	combinaison	mono	tuta	vestis *tōticorporālis
Sportkleidung	sportswear	tenue d'exercice	ropa deportiva	abbigliamento sportivo	vestis athlētica
Joggingschuh	running shoe	chaussure de sport	zapatilla deportiva	scarpa da corsa	calceus cursātilis
Fersenrand	collar	col	ribete	collo	margō calcis
Futter	lining	doublure	forro	fodera	subsūmentum, -ī n.
Vorderteil	nose of the quarter	aile de quartier	ala del cuarto	parte anteriore del quartiere	pars anterior
Zunge	tongue	languette	lengüeta	linguetta	lingua, -ae f.
Öse	eyelet	œillet	ojete	occhiello	ocellus, -ī m.
Vorderblatt	vamp	claque	empella	tomaia	folium anterius
gestanztes Loch	punch hole	perforation	perforación	foro	forāmen, -inis n.
Stollen	stud	crampon	montante	tachetto	+crampō⁵, -ōnis m.
Laufsohle	outsole	semelle d'usure	suela	suola	solea cursōria
Schnürsenkel	shoelace	lacet	cordón	laccio	corrigia, -ae f.
Schnürsenkelende	tag	ferret	herrete	puntale	apex corrigiae
Luftpolster	air cushion	coussin d'air	cámara de aire	cuscinetto ad aria	pulvīnus aëreus
Zwischensohle	middle sole	semelle intercalaire	cambrillón	intersuola	solea intermedia
Absatz	heel	talon	talón	tallone	fulmenta, -ae f. [PLAUT.trin.720]
Naht	stitching	surpiqûre	pespunteado	impuntura	sūtūra, -ae f.
Quartier	quarter	quartier	cuarto	quartiere	pars quārtāria
Hinterkappe	counter	contrefort	contrafuerte	rinforzo del calcagno	cappa calceī posterior
Vorderkappe	toe cap	bout	puntera	mascherina	cappa calceī anterior
Trainingsanzug	training suit	survêtement	traje de entrenamiento	tuta sportiva	vestis exercitōria
Sweatshirt mit Kapuze	hooded sweat shirt	blouson d'entraînement	sudadera con capucha	felpa con cappuccio	camisia sūdātōria cucullō instrūcta
Sweatshirt	sweat shirt	pull d'entraînement	sudadera	felpa	camisia sūdātōria
Trainingshose	jogging pants	pantalon molleton	pantalones de chándal	pantaloni felpati	brācae exercitōriae
Hose	trousers	pantalon	pantalones	pantaloni	brācae, -ārum f.pl.
Anorak	anorak	anorak	anorak	k-way	sagulum cucullātum
Badehose	swimming trunks	slip de bain	traje de baño	slip da bagno	subligar balneāre
Badeanzug	swimsuit	maillot de bain	traje de baño	costume da bagno	vestis balneāris
Sportkleidung	exercise wear	vêtements d'exercice	ropa para ejercicio	abbigliamento da ginnastica	vestīmenta gymnastica
Trikot	leotard	justaucorps	body	body	camisia *Leotardiāna⁶

⁵ +crampo, -onis m. Ducange Gall. *Crampon*, Ansa ferrea. Comput. Ms. eccl. Paris. ann. circ. 1381. ex Bibl. S. Germ. Prat.: Cum quatuor cramponibus et quatuor cavillis ferri.

Leggins	footless tights	collant sans pieds	mallas	pantacollant	brācae astrictae
Legwarmer	leg-warmer	jambière	calentador de pierna	scaldamuscoli	involūcrum crūrāle
Shorts	running shorts	short boxeur	pantalón de boxeo	pantaloncini da corsa	brāculae cursōriae
Trägerhemd	vest	débardeur	camiseta	canottiera	camisia *habēnāta

**Haec vocabula vestiaria
excerpsit et in Latinum convertit**

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

(Sequentur VOCABULA RERUM ACCESSORIARUM)

⁶ Online Etymology Dictionary: “leotard (n.) 1881, leotards, named for Jules Léotard (1830-1870), popular French trapeze artist, who performed in such a garment”.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|--|----------------|
| <i>1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....</i> | <i>49,00 €</i> |
| <i>2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....</i> | <i>42,90 €</i> |
| <i>3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....</i> | <i>45,90 €</i> |
| <i>4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz).....</i> | <i>25,00 €</i> |
| <i>5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....</i> | <i>22,00 €</i> |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

**HANC EPISTULAM LEONINAM
NONAGESIMAM TERTIAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Dominico, d.14. m. Febr. a.2016

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>